



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

177. Papst Nicolaus V. gestattet dem Kurfürsten Friedrich II., in den
Nonnenklöstern seines Kurstaates den geistlichen Vorstehern weltliche
Personen, zum Schutze der Klöster gegen Bedrückung durch ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

177. Papp Nicolauſ V. geſtattet dem Kurfürſten Friedrich II., in den Nonnenklöſtern ſeines Kurſtaates den geiſtlichen Vorſtehern weltliche Perſonen, zum Schutze der Klöſter gegen Bedrückung durch ihre Obern und zur ſtrengern Eintreibung ihrer Einkünfte, zuzuordnen,
am 13. Januar 1448.

Nicolaus etc. — Dilecto filio nobili viro Frederico, Marchioni Brandenburgensi et ſucceſſoribus ſuis Salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris eccleſiam, promeretur, ut votis tuis, illis preſertim, per que Monaſteriis et eterne beatitudinis amantibus, que habitu Religionis aſſumpto uni viro Criſto ſe voto celebri deſponſarunt, in tuo dominio temporalis conſiſtentibus, in ſuis neceſſitatibus conſulitur, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod Monaſteria Monialium, preſertim in tuo temporalis dominio conſiſtencia, ex eo quod laycales diſcrete et experte perſone ad colligendum fructus, redditus et proventus illic ſpectantes et tuendum illa, ne a ſuis ſuperioribus ultra ſolitum graventur, hactenus aliis illorum prepoſitis ſeu preſbyteris ſecularibus adiuncte non fuere, in fructibus, redditibus et proventibus ſuis non modicum fuiſſe deſtituta, et quod, niſi perſone laicales huiusmodi preſatis quantotius adiungantur, eadem Monaſteria penitus deſtituentur illorumque Abbatibus, Prioribus ſeu Conventus de illorum fructibus, redditibus et proventibus non poterunt ſuſtentari. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ſalubri regimine dictorum Monaſteriorum et recollectione fructuum, reddituum et proventuum et tuitione eorundem tibi et ſucceſſoribus adiungendi laicales perſonas prepoſitis ſeu preſbyteris ſecularibus preſatis in dictis Monaſteriis nunc et pro tempore conſtitutis licentiam et facultatem de benignitate apoſtolica dignemur. Nos igitur ſperantes, quod tu et ſucceſſores tui Monaſteria preſata et Conventus eorundem a noxiis tueri debeatis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinatis, Nobilitati tue et ſucceſſoribus tuis laicales perſonas ut premittitur, diſcretas, honeſtas et expertas prepoſitis, et preſbyteris preſatis ad colligendum fructus, redditus et proventus dictorum Monaſteriorum et tuendum eadem, ne a ſuperioribus ſuis ultra ſolitum graventur, de perſonarum dictorum Monaſteiorum conſenſu, quotiens opus fuerit adiungendi plenam et liberam auctoritate apoſtolica tenore preſentium concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum, anno etc. milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Nach einer Abſchrift aus dem Vaticanischen Geſch. Archive. Anni I, Tom. IV, pag. 97.

NB. Papp Nicolauſ V. wurde erwählt den 6. und gekrönt den 18. März 1447 und zählte vom 25. März ab das Kalenderjahr.